

LAPIDICINA ¹⁵
SEU
DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE
CALCULO RENUM & VESICÆ
QUAM
SOLO
DEO
PRÆSIDE

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores, Jura Privilegiæque
Doctoralia ritè capescendi

Publico Eruditorum Examine submittit

AUTHOR ET RESPONDENS

STEPHANUS KERICH UBIO-TUITIENSIS
AA. LL. & Philosophiæ Doctor, Medicinæ Candidatus

Anno 1738

Octobris.

Coloniæ Agrippinæ Typis NICOLAI THEODORI HILDEN
in Platea Unctoria propè Plateam Novam, Anno 1738.

PERMISSU SUPERIORUM

HONORI & VENERATIONI
PRÆNOBILIUM, EXPERTISSIMORUM ET
AMPLISSIMORUM DOMINORUM,

DOM. ÆGIDII ENGELS

AA. LL. S. PHILOSOPHIÆ & MEDI-
CINÆ DOCTORIS, PROFESSORIS PUBLICI

ac Primarii, Visitatoris Perpetui, Collegii Medici
Præsidis, Liberæ & Imperialis Reipubl. Colon.

Senatoris, Legionis Civicæ Protribuni, Præ-
toris & Scabini in Rheill.

D. JOANNIS MATTHIÆ
TROESTER

AA. LL. S. PHILOSOPHIÆ & MEDI-
CINÆ DOCTORIS AC PROFESSORIS

Publici & Ordinarii p. r. Eiusdem Inclytæ Faculta-
tis Medicæ Decani, Examinum Præsidis

Spectatissimi

Dominorum Patronorum ac Mæcenatum Titulis

Plurimis Colendissimorum.

Præ-

PRÆNOBILES, EXPERTISSIMI
VIRI AC DOMINI:

AMPLISSIME DOMINE
PRIMARIE,
SPECTABILISSIME DOMINE
DECANE!



*Eccarem profectò graviter in Communem
Academicorum Morem ac Consuetudinem,
si Thesium mearum Inauguralium Patro-
nos Vindices ac Defensores superba quadam
presumptione nullos deligere vellem, non
enim tum ætatis superioris Candidatorum idem factitan-
tium, tum presentis Cursus Nostri Medici Condiscipulorum
ac Collegarum meorum exempla desunt, quibus in similes*

✠ 2

ausus

*ausus animor incitorque ; imo & hac ipsa Ubiorum Colo-
nia, qua me vel puerum ex adversa Rheni Ripa huc trans-
euntem sinu suo excepit, fovit, suasque per Studiorum Clas-
ses, liberaliter educavit, nunquam caruit nec porro caritu-
ra est Viris in omni Facultatum Genere exercitatissimis, be-
nignis Clientum Patronis, & tam Scientiarum, quam
easdem Amantium vindicibus optimis. At ut ingenue fa-
tear, secluso omnium aliorum fastidio, in utrasque Excel-
lencias atque Dominationes Vestras hodie animo collineavi:
Vos estis Amplissima hujus Civitatis Insignia Decora ac Lu-
mina clarissima, felicissima Pandora Pixides, incolumita-
tis Publica Amuleta presentissima, sub Vestris ego Praesidiis
(si & Medicina studioso poetice liceat fabulari) tanquam
Jason aliquis sub Medea Consilio atque ductu in arenam ani-
mosus descendam, perspicacissimum Aurei Velleris Custo-
dem consopiam, edomabo, opprimam, Vestris ego Auspi-
ciis Morborum Castra invadam, sed inprimis qua via ac
ratione fatalis ille Renum ac Vesicae Calculus dissolvi imò
expelli valeat, & scripto voce pro virili demonstrabo. In
Tua Nobilissime AEGIDI? Sapientiae egide precario ac-
cepta confusus oppositas Adversariorum Machinationes fa-
cile amoliar, sub Tuo Expertissime TROESTERE?
Spiritu Consolatorio, eos hauriam Spiritus, quibus & Fon-*

tem Morbi cognoscere & cognitum oppilare valeam. Pro
quibus maximis in me Vestris Favoribus quid modò & olim
Gratiarum loco repensurus sim, haud equidem dispicio, ve-
rum enim verò, quantulum in me est, seu Artis seu Scien-
tia, aut quarumcunque denique Virium, totum Vobis de-
voveo, & memetipsum in Vadimonium trado, ad-usque
extrema fata perseverans

AMPLISSIMARUM DOMINATIONUM
VESTRARUM

Cliens ac Servus Orcinus
STEPHANUS KERICH Ubio-Tuitiensis
AA. LL. M. & Med. Candidatus.



D E
ETYMOLOGIA
 E T
**VARIIS CALCULORUM
 SPECIEBUS.**



Ubi Corpus plus minus durum, non malleabile, neque fusile, salino-oleoso-terream præ se ferens indolem, in machina nostra generatum est; Calculi nomine id ipsum insigniri solet. Cujus quidem generatio lithogenesis aut lithogenesia, passio autem ipsa lithiasis, nephritis Calculosa, sicut & Medicamenta huic malo opposita, lithontriptica passim audiunt. Quæ si opem non ferant, fit quandoque, ut Chyrurgi manus artificiosam instituat exsectionem, hæc vocatur lithotomia seu latomia, qui verò hanc exercet, lithotomi titulo superbit.

Sub dura meninge, futura lambdoidea inter crassam & piam Matrem, in ipso cerebro, glandula pineali, palpebris oculorum, lingua, ranula, frænulo, nec minùs in pulmonibus, ventriculo cordis dextro, ipso corde atque aorta repertos fuisse calculos, fides Authorum reliquit. Quid dicam de Ventriculo, duodeno, præsertim ubi in illud & Cholidochus & pancreatis ductus finiuntur, aliisque intestinis, quid de mesenterio, liene, hepate, ejusque fellea cystide? quid denique de utero muliebri cretaque podagricorum ex epidermide transudante? certè ubique Calculi, ut, quibus in partibus non inveniuntur, Calculum ponere nullus ausim.

De Subjecto & Differentiis.

Interea Renes & Vesicam fertilissimas præ cæteris, esse lapidicinas, experientiâ factis est comprobatum, Illud discepratur, an omnis, qui in Vesica invenitur Calculus

culus, illuc ex renibus descenderit ! Fernelii hæc olim erat Sententia, quam impugnant Recentiores ; si praxis & observationes consulantur, familiare est, Calculum vesicalem ortum suum debere renibus, ita tamen, ut & vesica ipsa parturire possit. Ex quibus fluit manifestò : Calculum esse alium Renalem, alterum vesicalem, utrumque vel hæreditarium vel adventitium ; atque renalem vel intra fistulas membrana- ceas, aut in Carunculis papillaribus vel intra ipsam cavitatem pelvis se manifestare. Vesicalem e contra vel liberè oberrantem & in urina natantem, aut vesicæ conglutina- tum, idque iterum triplici modo accidere posse putatur. Primò : si mucus vesicæ glutinosus fiat, & sic calculus quasi viscatus & vesica inter se committantur, de quo tamen alii rationabiliter dubitant, nisi fortè calculus grandior vesicam compleat, ac illam debitè contrahi non sinat. 2. Muco, qui ad vesicam tuendam datus est, abra- so, tunc enim materies in nudas membranas ex urina confidens, ad eas adhæres- cere valet. 3. Qui & modus frequentior est, quando calculi se tunicâ induunt ex ipsa, in qua hærent, vesica, id quod fieri suevit vel in ipsa vesica, aut & in urete- ribus, interque vesicæ tunicas, ubi quoque solent figurari. Alias differentias, sicut & figuram, numerum, pondus, colorem, hinc etiam firmitatem ex chemia peten- dam, quia per decursum adhuc obvenient, lubens prætereo, nunc acturus.

De Causis Calculi proximis.

Quantùm verò non exercuit hæc materia subtiles Doctorum speculationes ! Hip- pocrates urinam adustam incusabat. Aretæo placebat duplicem causam statue- re, in senibus frigidum Corpus, in pueris ignem & abundantiorẽ ex sanguine ex- coctum limum. Galenus, & qui eum secuti sunt, mucilaginem pituitosam, visci- dam, lentam substituere, hanc dixerunt in lapidem converti per renum & vesicæ ca- lorem. Quibusdam cum Fernelio aridebat arenosa dispositio, quam causam effi- cientem appellabant. Nonnulli Spiritus seminabant lapidificantes. Alii alias Calca- runt vias. Theophrast. Paracels. uti omnes ferè morbos ex tartaro, ita & calculum ex tartaro cruoris & urinæ produci primus asseruit, omnibus verò rebus tartaream hanc mucilaginem inesse, in nos transferri atque cum urinæ spiritibus coagulari do- cuit. Joann. Baptista von Helmont, ut suam eò solidiùs proferret sententiam, re- jectis Paracelsi tartaro, Galenique placitis videns. 1. Lotium debitè putrefactum coagulatore dare Spiritum, qui Alcohol in momento cogeret in offam albam. 2. Eundem hunc Spiritum, qui totus diaphanus & volatilis, in vitro limpidissimo diu servatum, tandem evadere fuscum, sensimque terrestris fermè quid fundo lateribus- que apponere, atque ita potentiale duelech continere. 3. Sin alio tempore conti- nueretur destillatio, alium provenire Spiritum, qui duelech semel natum, sponte re- solveret. Hæc inquam videns severò intulit ratiociniò : Spiritum urinæ apprehen- dere terram volatilem, ac ita fermento fracido & putrescente suscitari occultum ad- huc in potentia Vini Spiritum, urinæ incolam, & ex his duobus concurrentibus oriri amborum connexionem penitissimam. vid. nobilis ejusdem de Lithiasi tra- ctatus

status. Tandem & ultimò juniores cum animadverterent, quod hæc omnia parum lucis praxi affunderent, totam morbi historiam penitiùs inspiciendo, visi sibi sunt saniozem concepisse ætiologiam. Et inter hos Celeberrim. Stahlius pro causa proxima & continente adstruxit substantiam lymphaticam seu purulentam, quæ ex ulcere renum vel Vesicæ exsudat, & accedente pingui urinæ Salsugine primò quidem in lentorem, mox in tophaceam crustam constringitur, ut inde crusta veluti callosa efformata, postmodum tophaceam illam consistentiam adipiscatur. Vid. ejus Nova Pathalog. calculi. ---- Frider. Hoffmann. etiam parvulos abscessus atque ulcuscula supponit. Et in hoc Stahlio accedit, in illo tamen ab eo videtur differre, quod serum urinosum tartareis, limosis refertum partibus in iis subsistere ac particulas illas invicem concrefcere tradat. Hermann. Boerhaave in Commentar. Non solùm puris particulae, sed & sanguinis Grumo, alterive peregrino, si in renibus, aut in vesica hæreant, partem salino-oleoso-terream apponi, ac eodem modo, velut circa filamenta saccharum fufum adnasci censet.

Thesin suam probant. 1. Quia renes Calculosorum ulcerosis, fistulosis, & sinuosis ulcusculis, quasi cuniculis latè subrutos Anatomia detexit. Stahl. loc. cit. 2. Ipsa ex cura, quam omnium optimè per abstergentia, vulneraria, consolidantia, leniter constringentia perfici ajunt. 3. Per experimenta ab Antonio Nuckio facta, qui in vivi canis vesicam duos globulos immittens, unum ligneum, alterum eburneum, inciso post aliquot septimanas cane, globulos exiguis calculis seu crystallis incrustatos extraxit. Boerh. in comment. 4. Quia pus linteo carpto exceptum, si per tempus in matula relinquatur, calculosa materia obducitur.

Ecce rationes trium Doctissimorum Virorum ponderosissimas? à quibus qui præsumet recedere, in meridie cœcutiat, necessum erit. Nec interim puto bina illa lumina Hallensia à se discrepare, nisi tantùm modò explicandi. Quod enim unus nominat pinguem urinæ salsuginem, illud alter appellat partem tartaream, limosam. Et si particulae hæ, dum stagnant, accrescunt, sine dubio etiam accedunt, ut ita unus præ altero magis aptè fuerit locutus.

In hoc laudo & adhæreo singulariter Hoffmanno, quæ & Boerhaavii mens est, quod quoque citra præviam substantiæ renalis læsionem, calculi formari possint ex ipsa & sola urina, si in pelvi vel minoribus ductibus bellini stagnet, nexuque privata debito, difflatis particulis aquosioribus, terrestriores relinquuntur vid. Boerh. comment. Hoffmann. de dolor. & Spasin. ex calcul. Renal. §. xi. In urinæ igitur utero calculosam hære materiam statuo, ut illam aliunde accersere opus haud sit. Confer. Clariss. Boyle, qui ex urina, eadem, quæ sunt calculi, elicuit principia. sufficit, si urina nexu suo solvatur, sicque partes salino-oleoso-terreæ subsideant. Fateor quidem, præexistente utcunque materia calculi, calculum nihilò minus quandoque non generari; at tum sanissima renum constitutio subest, aut urina minùs de principiis salino-oleoso-terreis participat. Da mihi autem renales tubulos, sua nimia crassitie, nimiumve angusta hæreditaria structura peccare, da insitua urinae lateem prædictis particulis prægnantem; nexu suo dissolutum stagnare; & ego tibi dabo

dabo principium calculi, dabo tibi inquam, pro loci, in quo stasis obtinet, temporisque conditione, particulas congeneres associari, ut etiam tractu temporis in magnæ molis lapillos parvum exurgat granum. Sciendum enim est, lapillos hos renibus diutissimè non rarè insidere, donec aliqua occasione per ureteres ipsam expellantur in vesicam, ubi vel per viam urethræ ejiciuntur, aut moram ubi trahunt diuturniorem, lamellatim instar ceparum, aut, si mavis, in forma bezoar occidentalis magis magisque accrescunt; & hoc pro qualitate urinæ. Nam hæc, si copia materiæ abundat, ruffaque est, ac diutius in vesica hospitetur, exhibet rubri coloris testas, easque arenosas, & molles. Quæ verò ex pallida & tenui formantur, minùs obscurum colorem, majoremque densitatem habent. Imò si lotium aquosum sinè mora & difficultate redditur, nihil aut certè parum accrescere rationi consentaneum est. Præterea hanc lithogenesisiam demonstrat ipsa autopsia, suadet natura, quæ vix aliter in fodinis lapides format, nec ars contradicit, impone, si dubitas, silicem ex fluvio, cucurbitæ vitreæ, riga illum aqua, abdestilla non tædiosus, & quid fiet! silex in tantam assurgat molem, ut etiam non longo tempore, totum cucurbitæ fundum adimpleat. vid. Conrad. Kunrath in Medull. destillat.

Quæ, si vera sint, ut sunt verissima, cuilibet facilè (ni fallor) in principio citatarum opinionum falsitas patebit, nec peccabimus, si à scholis Spiritum illum Gorgoneum, fictaque renum fermenta proscribamus, quin & sponte cadent, quæ nimis plausibiliter de acido, materiam lotii, in lapideam coagulante duritiem, communis occinit sententia, explodetque hæc, quicumque sequentia olim & non ita pridem evidentissimis stabilita argumentis ruminatur, & ut vera amplectitur.

Primò : *Acidum in Corpore humano, saltem ultra primas vias non reperitur.* vid. Leonis à stipite religio mentis. Pars I. Cap. VIII.

Secundò : *Multò minùs ipsa in urina.* Boerhaave Process. XCH. III. IV.

Tertiò : *In qua tamen, etiam, dum putrescit, & alcalescit, calculus nascitur, neque dissolvitur,* id. Boerh. loc. cit. Process. 101. it. Tom. I. de menstr. dictis in chemia.

Quartò : Ergo nec erit effectus acidi, qualem dicunt coagulatorium, in Corpore.

Quintò : Igitur neque calculus productum ejus. Et mehercule? cum calculus ex iis, ex quibus urina, confletur principiis; vid. Boyl. Helmont. alcali seu alcalescens potius generabit lapidiforme hoc concrementum. Boerh. loc. cit.

De Causis remotis & Procatarteticis.

Delibatis hucusque Causis Calculi proximis, non incongruum erit remotas & procatarticas subijcere: ad has autem reducimus. 1. Omne id, quod renes, vel vesicam malè afficit. Quò pertinent imprimis ictus in has partes, Casus, contusio, compressio vel læsio, huc collocantur omnes incurvatò tergò, terram versus laborantes, veluti sunt vinitores, ligni-secæ, fossiores, pavimentarii, alii que qui hac incurvatione tubulos renum arctant. Habitu Corporis pingues seu admodum

dum crassi ; coli flexura flatibus extensa. 2. Quodcunque plus suppeditat de principiis salino-oleoso-terreis, sive alcali illud sit, sive acidum, nam & ex fermentantibus, æquè ac putrescentibus exsolvitur oleum, sal & terra ; & hæc invicem, certò modò permista, si crassa sint, nec tenuentur, demum in calculum abire possunt. Sed hoc accidit, non quia acidum, verùm quia talia principia viribus vitæ extricantur. 3. Id, quodcunque humores determinat ad has partes præternaturaliter. Quare motus naturæ erronei, hæreditaria dispositio, saltem aliquo respectu, diuretica potentiora ab hoc censu non excluduntur. Quid otium, Venus, liberatior potus cerevisiæ, præsertim fæculentæ, Vini Maximè Austriaci, Moravici & Franconici, aliorumve liquorum fermentatorum valeat ; loquantur illi, qui his rebus delectantur. Principaliora nos tantùm volumus attingere, inter quæ numeramus temperamentum prædominanter sanguineum. Unde fœmininus sexus, cibis blandis, facilè in chylum resolvendis, otio, somno nimium indulgens, si tributum lunare cesset, doloribus ex calculo obruitur, à quibus liber vivit, fluxu menstruo ritè se habente. Ex viris ii, qui in adolescentia hæmorrhagias narium, Capitis dolores frequenter fuerunt experti. Item qui hæmorrhoidali fluxui, sæpe & diu, aut perennitèr continuant sunt assueti, hoc cessante vel imminuto, Calculosis & Podagricis affectionibus, sub proveciori ætate, subinde tentantur. vid. Stahl. Hoffmann. loc. cit. Et hæc, cum hodie dum negotium hæmorrhoidale accuratius sit inquisitum, translatio etiam, seu regurgitatio sanguinis Hæmorrhoidalis ad renes non modò, sed & ad vesicam fuerit admilla ; extra omnem controversiam versari quivis pathologiæ veræ peritus nobiscum affirmabit. vid. Cælius Aurelian. lib. 5. morb. Chron. Cap. 4. Hochstetterus in obs. Med. Dec. 1. Schol. in Cas. 2. ubi ita : *Fundit sæpius hæmorrhoids sanguinem in vesicam, ut absque vitio renum Mingatur.* Vesalius libr. 3. Anat. Cap. 9. p. 475. Theses Inaugural. de Connexione Hæmorrh. cum Vesica. Sub Præsid. Nobilis Dom. & Excellent. Jacob. Schmith, Præceptoris olim mei Colendissimi Pragæ habit.

De Signis Diagnosticis & Distinctivis.

Medicus quoties Patientem accedit, signa habet, quibus morbum præsentem detegit. Hæc, ut distinctius percipiantur, exordimur à Calculo renum. Hic verò, cum per aliquot etiam annos quiescit in renum Substantia delitescat, vix cognoscitur, at, quando vel causa physica aut morali moveretur ; talia eum produunt :

1. Dolor in lumbis vel utrimque, vel in alterutro tantùm latere, fixus, stabilis, obtusus, gravativus, tensivus & quasi constrictorius, idque in principio ; in progressu enim, notanter, si calculus in caput ureterum impingat, acutus & pungens evadit, qui sævit, usque dum Calculus in Vesicam protrusus fuerit, aut in Renis Cavum remeaverit River. Lib. XIV. Cap. I. de Calcul. Ren.

2. Cruris stupor ob compressos psoas musculos. 3. Testiculi retractio in illo latere, in quo dolor est. 4. Alvi strictura, 5. Nausea, vomitus, spastica præcordiorum

tum

rum constrictio, spirandique angustia. 6. Extremorum horror cum phlogosis intercurrentibus; syncope, convulsiones epilepticæ. 7. Mictus cruentus post motum ad strata lapidea, motum Corporis vehementiorem, singulariter in curru. 8. Urina tenuis, aquosa, & pauca, imo quandoque nulla, nunc iterum remittente paroxifimo, copiosa, crassa, turbida. 9. Arenularum & lapillorum frequens excretio & subsidencia.

Vesicam si obsideat, adsunt. 1. Vaga ad perinæum pubemque titillatio, pondus, gravis ad caput penis pruritus, priapismus. 2. Dolor in reddenda urina, & post, & ante. 3. Obstructio vel intercisio, & abruptio mictionis. 4. Mingendi conatum sequens desidendi cupido. 5. Faciliior lotii exitus resupinato Corpore. 6. Obambulatio cruribus divaricatis, atque eorum decussata positio. 7. Dolor Nephriticus prægressus, nec Calculus excretus. 8. Quibus in urinis arenosa subsident, tunc autem fileat nephritis, arenulæ fundum petant, nec in loco calido dissolvantur. 9. Sedi-
mentum mucosum, argillaceum, therebintinaceum, fundo matulæ tenaciter adhærens, quod præsens Calculi Vesicæ præsentiam indicat, quamvis absens, ejusdem absentiam non significet, Prælaudatus River. prax. Med. Lib. XIV. C. II. de Calcul. Vesic. 10. Catheter; aut digitus ano, vel etiam vaginæ fœminarum immisus, & hic ultimus modus certior est, nam primus potest fallere, si calculus in extremo ureteris impactus, si pituita vel etiam cystide obvolutus est; sed & tum aqua vesicæ injecta, & Corporis motus eum patefaciunt. Boerhaav. Comment.

De Prognosi.

Calculus uterque valde periculosus est, nam in renibus degens, mictus sanguineos purulentos, fœtidos excitat, quin sæpe ulcerationem post inflammationem Creat. in Vesica, inflammationem ejusque symptomata, tum quoque ulcera, puris mictus, Strangurias, obstructionem urethræ, febrem hæcticam, tabem facit. Sæpe impellitur in urethram immobilis. Boerhaave in Aphorism. de Cognosc. & curand. morb. præsentius tamen periculum minatur illis, qui senio confecti, aut alia de causa, viribus fracti decumbunt. Quidam præ doloribus desperant, & morbo acuto pereunt. Alii ob totalem urinæ suppressionem in hydropem pectoris, lethargum vel convulsiones incidunt. Quibus autem ulcus conjunctum est, isti Hæctica depascuntur. Salutare est, si urinæ antea tennes, jam crassæ appareant, & remissis doloribus arenæ in fundo subsideant. Ast ubi dolores Medicamentis expertissimæ aliàs fidei non cedunt, omnimoda quoque urinæ accedit suppressio, cum extremorum frigore, & convulsione tendinum, mortem in propinquo esse, indicio est.

De Indicationibus & Methodo Medendi.

Cum Indicationes sint, conceptus prudens à causa resultans, & remedium causa oppositum determinans, indicabuntur certè insultus lenitio, expulsio, & si possibile, Calculi resolutio.

Primum : Obtinetur 1. Per anti-spasmodica inter quæ commendari merentur liq. Anodin. Miner. Hoffm. Essent. Fumof. D. Doct. Fuchs. Oleum Vitrioli dulce, probè elaboratum, in suo proprio Spiritu Vitrioli resolutum, aut, si hic nimium accensivus videatur, ol. hoc verè edulcoratum per se, ruberrimum, fragrantissimum, summum anti-spasmodico : convulsivum Confer. Basil. Valentin. **Von Wiederholung des grossen Steins.** Cap. de Vitriol. it. part. 3. **Von Erklärung der 12. Schlüssel** Oleum animale Dippelii. Spiritus nitri dulc. hoc modo elaboratus : Recipe : Spirit. Vin. Rectificatiss. unc. quatuor. nitr. unc. unam. Relinque per octo dies in digestionem frigida ; postmodum l. a. destilla. Nitrum ipsum in substantia, tam naturale, quàm artefactum. Sal ille Verus Secretus Philosophorum, de quo adeò præclare Dom. de Nuyssment in Tractat. de vero Secreto Sale Philosoph. Pulv. Antispasmod. Stahlî ex nitro, tartaro Vitriolato, absorbente quodam & momento Cinnabaris Compositus. Pulvis B. Volckammeri spastica, quam à gemmis ingredientibus mutuatur, efficacia insignis. Quæ omnia in aquis sedativis Fl. Chamomill. Sambuc. cerasor. nigrorum, adjecto Syrupo papaver. Rhæados, aut Dialth. Fernel. propinari possunt. 2. Per diluentia calida, lubricantia pingua, & emollientia, pectoralia ferè omnia : Quorum Catalogum vide sis in Junckeri conspectu Medic. Theoretico, præct.

Quando autem his dolores non mitescunt, opiatorum usus est. Sed cautus : nocent enim, si ætas senilis, si virium languor, & pulsûs debilitas adsunt. Et si iis locus datur, cùm alexipharmacis jungantur. Stahl. l. cit... hucusque de internis : externè præter clysteres sæpe repetitos multùm juvant balnea, fots ex herbis relaxantibus, unguenta emollientia, injectiones oleorum in vesicæ vias, Venæ sectio, hæmorrhoidum apertio, præsertim in subjectis phlethoricis, ubi pulsus celer, magnus æstus, ac intensa sitis prædominantur.

Doloribus nunc proffigatis, ut secundæ satisfiat intentioni, inquirendum est sedulò ? Calculus num magnus sit ? an parvus ? num acutus ? an planus ? expulsio enim spasmodicam supponit Contractionem, unde si magnus, frustra stimuletur ; si acutus, dolorum augebitur vehementia. Parvum autem & planum omnino licebit pellere. Sed optarem, ut hoc fieret illo tempore, quo natura se solvere gestit, & tunc levissimus stimulus multùm efficeret. Verùm quis ita lynceus ? hoc ut usque prævideat. Et demus naturam torpere, tum sanè paulò fortiora diuretica salutem, adferent eò tutiorem, quò cautius emollientibus externis, vel & internè nitrosis ac cinnabarinis maritantur.

Nec frustra huic scopo inserviunt 1. Semen dauci, urticæ, abietis, hyperici, bardanæ, violarum purpurearum, milii folis. 2. Succus Raphani, aq. Fragorum, Persicar. stillatitia, petroselina. 3. Pulv. Antispasmodicus Stahl. Contra Calculum Comitissæ de Marzin ex Cremore tart. libr. una Sem. Ocul. Cancror. Unc. duab. Sal. Saxifrag. Juniper. Ononid. Petrosel. Gemm. aa. drachm. sex. confect. 4. Offa Helmontiana, sapo Stackeyanus, seu therebintinatus intra duas horas, nova inventio-
ne præparandus. 5. Lapis Nephriticus novus in Commercio literar. de Anno 1734.
fol.

fol. 309. descriptus. 6. Præ cæteris radix parreiræ bravæ fol. Ac mell. vel speciebus decocti Nephrit, Foresti immixta. Item cerevisiæ incocta vel sola vel cum semine dauci, In Substantia sumitur ad drachm. sem. scrupulos duos. drachm. unam. Misceatur pulcherrime cum pulv. milleped. tartaro nitrato, cinnabari. Hæc & ipso in paroxifimo felici successu fuit exhibita. Frider. Lochner in rarissimo schediasmate de parreira brava. 7. Lapis quadratus qualis in Bohemia, Montibus Saxon. Tyrol. & Hungar. Reperitur, sed qui ex India ad nos defertur, melior putatur. Modus utendi hic est: projicitur in vitrum aq. fontis plenum, post duas horas instillatur parum succi citri. Et hæc aqua potata perhibetur curare omnem Calculum, & provenientem ex eo dolorem, ad multas alias infirmitates hyperbolicè deprædicata.

Restat, quæ tertia erat indicatio, ut pauca de lithontripticis dicamus: an autem verè talia dentur, pugnant Authores, & adhuc sub judice lis est, Calculos friabiles, arenosos aut ruffos adhuc, comminui posse, quanquam difficulter, concedunt aliqui; at duros illos & instar marmoris lapidescentes Resolutos unquam, perfractè negant vix non omnes. Portio tamen minor cujus partes & nos tuemur, omnem, etiam durissimum Calculum dissolvi posse ad experientiam suam provocat. Et, ut ait, postulat illa res tantum debitam solventis, & solvendi proportionem, & tunc applicationem. Sed hic Rhodus, hic Saltus: utinam & ejusmodi menstruum, Candidi Communicassent, quantum sibi non haberent obstrictos mortales? plura, quæ in libris leguntur, examinavimus, sed sine eventu: Paracelsi ludus ad veram Generati duelech liquationem primatum obtinere Confirmavit Helmontius: sed præparationem uterque obscuram posuit, quid enim sit liquor Alkahest, qui inde debet destillari, hætenus ignoratur. Glauberus illum ex Ol. Vitrioli rectificat. & Spiritu urinæ Conficit. Qui altiùs sapiunt, alkahest nil aliud esse autumant, quam Spiritum seu Ol. Vitriol. dulce. Sit ut fit, res meretur indagari, & nobis sæpe in aurem dixit piè defunctus Doct. Geelhausen. Ol. Vitrioli dulce hinc summum esse arcanum: idem videtur sensisse Dippelius, aliàs Christianus Democritus Dictus, qui ex Ol. Vitriol. cum Spiritu Vini rectificat. paucisque aliis ingredientibus Elixir acid. Obtinuit, cujus usus Mirabili modo Calculos infringit, eosque sub forma limositatum solutos placidè cum urina educit. Aliud tentavit nec incassum Chemicus nobilis Hanckewizius, qui ex phosphoro Oleum quoddam per deliquium elaboravit quod primò Calculos quoscunque è Corpore humano vel expulsos vel alio modo extractos dissolvit, & si aquis Lithontripticis Sociatum, & dilutum in Vesicam urinariam injiciatur, Calculum in Vesica contentum dissolvit. Ast, velut benè monet Frider. Teichmeyer in institut. Mater. Medic. dum phosphorus pretiosum est remedium, hoc pro magis pretioso haberi debet, nam phlogisticum igneum priùs à phosphoro separandum.

De Lithotomia tractandum adhuc esset, sed hæc remedia, si fida sint, illà opus haud est. Et aliàs videri possunt Juncker. Conspect. Chyrurg. Heister. Zachar. Platneri Dissertat. Lipsiens. de Calcul. ad vesicam adhærescente. Respond. Christiano Tilling. aliique ibi citati.

De Methodo Præservatoria, &c.

PRæservationis locò suademus plethoricis, aut assuetis tempestivas circa Solstitia, Venæ sectiones, scarificationes. 2. Laxationes ex Rhabarbar. vel aq. Angel. Vienn. cum Magister. tart. quater per Annum. 3. Et si continuus fiat Calculorum proventus, temperata traumatica, qualia sunt: Veron. heder. terrestr. Chærefol. Millefol. Pyrol. Sanicul. Equiset. Virg. Aur. Ex quibus infusiones, decocta, & cum melle Electuaria pro cujusvis placito parari possunt. 4. His verò, si diætâ Conveniens adveniat, & causæ occasionales vitentur, bibatur autem per totam æstatem (ut vult Boerh.) serum lactis, certi sumus, quod patiens à Calculo liber sit futurus.

F I N I S.



Prænobili, Doctissimo, atque Amicissimo Domino
de Calculo Renum & Vesicæ inauguraliter
DEFENDENTI

AMORIS INDIVIDUI SYMBOLUM.

ME Tibi fraterni dudum vis junxit Amoris,
Noster & est nondum dissociandus Amor.
Non parvis spatiis alienas visimus oras,
Et fuit Hippocratis culta Palæstra simul.
Quin etiam reduces eadem Vis fecit amoris:
Ut mihi Tu Pollux, sic Tibi Castor eram.
Ergo immortales nostri celebrentur amores:
Alter ab alterius lumine fata trahat.



ALIUD
GRATULATIONIS ET HONORIS ARGUMENTUM.

SI quis Jasonios mihi commemoraverit ausus,
Æsonidi similem Te reor esse Virum;

Visus

Visus es auratum raptâsse è Colchide Vellus,
 Dum Medea animos, & simul arma dedit,
 Scilicet insomnis tenuit Vigilantia mentem
 Ut Tibi sopitus sterteret ipse Draco.
 Materies hodie Theseon Tibi CALCULUS esto:
 Artibus hunc medicis frange, resolve, move.
 Atque dein reliquis infer nova prælia Morbis
 Et Tua Te STEPHANON facta animosa probent.
 Et dum sic Calcas unô Certamine morbos,
 Calculus à cunctis Unus Honoris erit.

Posuit

J. P. WETZEL S. Phil. Doct.
 Med. Licentiatius.



CoLLegæ sVo

S T E P H A N O K E R I C H

CaLCVLI HIstorIaM

ThesibVs InaVgVraLibVs propaLantI.*

EN STEPHANUM *εἰσφώνη* non inconcinna coronat,
 Illi quam doctæ Theleos resolutio confert.
 En Collega ! Tuo Tua *Dissertatio fertum*
 Imponit Capiti ; nec vulgarem addit Honorem
 Descriptus nitidè morbus, qui *Calculus audit*,
 A Cura certè major Tibi Gloria crescet,
 Quam tamen in Thesibus clarè proponis, & Ægris
 Offers ex medico Medicamina fonte propinans.
 Nomen, Opesque Tibi largæ precor inde resultent,
 Ac post innumeros ex mortis fauce redemptos
 Tandem Justitiæ Dignâ cingere Coronâ.

Ita

In Latino germanè ponebat
 ÆGIDIU'S UDESHEIM AA.
 LL. & Philos. Doct. Med. Licent.

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
R	G	B	W	M	K	G	C	Y	M										

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1	2	3	4	5	6	7	8	9
10	11	12	13	14	15	16	17	18
19	20	21	22	23	24	25	26	27

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19